



Mexico



Contenta.

1. *Job. Erhardi* *Observationes philologicae ex Aristophanis Pluto dictioni N. F. illustrandae inferentes.*
2. *Christoph. Wollii* *Diss. de eo, quod sublime est in his Moysis verbis: venit Deus Quid, ad Longin. p. 101. 1785.*
3. *Iust. Godofr. Guntzi* *Diss. de Sadschar in sacris Hebraeae.*
4. *Sal. Deylingii* *Eusebianum doctrinae saluifica Systema.* (fide.)
5. *Christian. Gottlieb Clugii* *Diss. de usu formulae, qua interrogamus infantes ante sacram lotionem de*
6. *Io. Casp. Haferungii* *Progr. de baptismo typico.*
7. *Io. Georg. Walchi* *Diss. de baptizato Christum induente.*
8. *Ciurd.* *Historia paedobaptismi quatuor priorum seculorum.*
9. — *progr. tempus aduentus messiae idoneum.*
10. — *Controversia de processione spiritus sancti.*
11. — *Historia doctrinae de peccato originis.*
12. *Frid. Andr. Hallbaueri* *Pristina Christianae rei facies a Plinio representata.*
13. *Io. Andr. Dampii* *Diss. de filia vocis, nefanda diuina emula.*
14. *Io. Christian. Hebenstreiti* *Diss. de discrepantia et consensu palmi XIII. et II. Sam. XXI.*
15. *Ciurd.* *Diss. de sacrificio a perisuro offerendo, ex leuit. V. 20-26.*
16. — *de Isaias cap. LXIII. comm. 19. non diuellendo.*
17. *Christian. Sigism. Georgii* *Diss. de peregrinis idiotismis ob causas et effectus suos in sermone N. T. Graeco non admittendis.*
18. *Car. Gottlob Sperbachii* *Observationes philologicae in nonnulla pentateuchi loca a translatore Wentheimensi corrupta.*
19. *Georg. Laur. Gottlieb Reizii* *Observationes similes.*
20. *Henr. Doloffi* *Diss. qua ludou. de Dieu aphorismos theologicos fallor et erroneos refutat.*
21. *Car. Henr. Zeibichii* *Diss. dicta quaedam N. F. ex versione Syriaca illustrans.*
22. *Ioath. Kläcker* *de lingua domini nostri Iesu Christi vernacula.*
23. *Gustav. Georg. Zeltneri* *Diss. de subiectione Iesu Christi gloriosa, ad 1. Cor. XV. 22-28.*
24. *Christian. Gottl. Joecheri* *Thoma Wooltoni de miraculi Christi paralogismorum examen.*
25. *Henr. Hlaupings* *progr. de gradibus academicis.*
26. *Ciurd.* *Animaduersiones de מדרגות הדרגות ad gen. XII. 6. 7.*
27. *Io. Vortii* *Diatriba de adagijs N. T.*
28. *Io. Casp. Haferungii* *Diss. de Bileamo incantatore et propheta periodico.*
29. *Io. Paschii* *Griechus rabbinico-philologicus de Schem hamphorsch.*
30. *Christian. Wesli* *Systema palmonum metricum a cel. Anglo Franc. Haze nuper adornatum.*
31. *Adam. Grenzi* *Lucubratio theologica in locum Ioh. VII. 48. 49.*
32. *Christian. Gottl. Frid. Wolffi* *Schediasma de diuortio Iudeorum, ad Matth. XIX. 8. 9.*
33. *Io. Gottlieb Borjseckii* *Memoria Frid. Myconi.*
34. *Io. Andr. Schmidii* *Diss. de regina ex austro, ad 1. Rey. X. 1. 199.*
35. *Ciurd.* *de elinguatiz mysterium trinitatis praedicantibus.*
36. *Christian. Ern. Schmidii* *Diss. de promotione academica Xpo eiusq. apostoly perperam tributa.*
37. *Erh. Reuschii* *progr. Hymni angelliq. ex historia rituum Jacorum illustrat.*
38. *Christian. Bened. Michaelis* *progr. de Christo filio hominis.*
39. *Ciurd.* *Oratio de Daniele, laudabili exemplo triuq. triennii academici.*
40. *Io. Guil. Langii* *et Dan. Gottlieb Krügeri* *Epistola de iure vitae ac necis, ad exod. XXI. 20. 21.*
41. *C. B. Michaelis* *Diss. de vaticinio Amosi prophetae.*
42. *Io. Georg. Michaelis* *Diss. de duali auly purgationi leprosi destinatis, earundemq. mysterio, ad leuit. XIV. 1-8.*

43. Eiusd. *disq.* de lapidibz vivis fructis in domum spiritualem, ad 1. Petr. II. 5.
 44. — de viro stante inter myrtos, ad Zach. I. 7. fgg.
 45. — de tempestate maris a Christo miraculoso modo sedata, ad Matth. VIII. 23 — 27. et.
 46. Aug. Christian. Marche Specimen iuris prudentia Pauli apostoli quoad rem tutelarem. Gal. IV. 1. 2.
 47. Car. Gotthelf. Mulleri Oratio de admirabili Augustana confessionis in animis hostium efficacia.
 48. Frid. Andr. Hallbaueri progr. de Nic. Christoph. L. B. de Lyncker.
 49. Christian. Ludov. Schlichteri Coment. de abusibz quibusdam eucharisticis.
 50. Io. David. Koderi *disq.* de Iohanne Roxycpina, famoso Calixtinorum in Bohemia pontifice.
 51. Christoph. Aug. Heumannii Schedia-mata III. v) de coniuge Paullini, Phil. IV. 3. 2) de verbis S. Lucae aet. XIII. 48. 3) de primis apostolis, iisdemq. euangelistis, pastoribz Bethlehemiticis.
 52. Eiusd. *disq.* de origine vera traditionis falsa de Ioanna papissa.
 53. Io. Christian. Burgmanni *disq.* de tatu integritatis, quem Io. Coccius Mianismz racabilis tradit.
 54. Gottlob Frid. Deligmann de us, qua circa receptam de sabbatho doctrinam a Io. Sam. Strycio in dubium vocata sunt.
 55. Christoph. Cellarii *disq.* de Pathmo Lutheri in arce Warteburg prope Ikenacum.
 56. Paul. Antonii *disq.* de vita et doctrina Haymonis, Episcopi Halberstadenfis.

Godofredus Ludovicus Drüger
 Mulhusinus, me sibi comparavit
 Quedlinb. d. 12. Sept. 1791.

51. 1. f. 12. 496.

00

Gei

5a

LECTORI BENEVOLO
FAVSTA QVAEVIS APPRECATVR
**IOHANN CASPAR
HAFERVNG, D.**

SS. THEOL. PROF. PVBL. ORD. ET ALVMN. REGIO-
ELECTORAL. EPHORVS

ORDINIS SVI

H. T.

DECANVS,

ET AD

AVDIENDAM CRASTINO DIE

ORATIONEM INAUGVRALEM

MAXIME REVERENDI

DOMINI CANDIDATI NOSTRI

DECENTER INVITAT.



[Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including words like 'IOHANNES', 'D.', 'REGIO', and 'OSTRI']



Non potuisset Deus illustriori documento comprobare, quanta sit ipsius *Φιλανθρωπία*; quam constituto certo medio, quo et tenelli infantes ad inexhaustos paterni amoris fontes deduci, et salutis, per Christum acquisitae, participes reddi possunt. De quorum beatitudine nisi parentes certi essent, non posset, quin perpetuo mentis angore discruciantur, quoties liberos suos in tenella aetate mori, et, antequam doctrina coelesti imbuerentur, luce priuari uiderent. Nam adulti, quorum et sensus confirmatiores, et rationis uires exercitatiores, cum lectione, tum auditione uerbi diuini erigere se, et solatio reficere possunt. Quo uero pacto diuinæ gratiæ riuus in tenellas animas deriuari posse, non apparet. Itaque Deus in V. T. ordinato circumcisionis Sacramento, mafculos in foedus recepit, Gen. XVII. 10. foemelis alia ratione foederi insertis, die scilicet purificationis per orationem et sacrificium Domino oblatis. Vt B. POLYCARPVS LYSERVS in Gen. XVII. p. 278. annotauit. Cum autem diuinæ sapientiæ uisum esset, tempore N. T. utpote *κατὰ διορθώσεως*, Ebr. IX. 10. instituire Sacramentum, quod utrique sexui commune esset; qui inde manifestiora gratiæ, ad omnes ex aequo pertinentis, indicia haberet; placuit, multo ante compluribus illud typis praefigurare, simulque, quae eius ratio, uis et effectus futurus esset, commonstrauit. Libet in praesens unum tantum huiusmodi typum citare, et paulo enucleatius proponere; Eum scilicet, quem ex Exod. XIV. 22. accersitum, Apostolus 1. Cor. X. 2. his uerbis delineat: *καὶ πάντες εἰς τὸν Μωσῆν ἐβαπτίσαντο, ἐν τῇ ὑσφέλῃ, καὶ ἐν τῇ θαλάσῃ.* Quae uerba, licet pauca, maiora tamen et plura, quam pro instituti modo enumerare possumus, com-

prehendunt; Itaque, ut tempori et occasione inseruiamus, haec tantum breuiter enotabimus.

*Quibus Πατριάρχως, de quo ex Mose loquitur Paulus, obtigerit? Iis nimirum, quos nomine πατέγων, u. i. Apostolus appellat, omnesque, qui simul Aegypto egrediebantur, complectitur; nullo ipsorum excepto. Imo, quod historia diserte innuit, uxoribus et liberis utriusque sexus eodem beneficio mactatis. Quin et, ex Aegyptiis, eorumque accolis et aduenis, non exigua multitudo Israelitis se aggregauit, eosque comitata est. Patet hoc ex Exod. XII. 37. Vbi distincte percensentur sexcentena millia Israelitarum, quibus associantur mulieres et paruuli. His autem omnibus, qui non nisi Ebraei erant, populoque Dei comprehendebantur, subiungitur *promiscua colluies*. Quae in codice Ebraeo ערב רב, *turba multa*, aut magna dicitur. *Miscellanea turba, sive commixtio hominum, ex Aegyptiis, alienigenis et seruis, partim miraculis moza, partim religione ducta, partim dulcedine terrae Canaan illecta, multa ascendit cum eis ex Aegypto.* Ait IOH. ADAMVS OSIANDER, in h. l. Num. XI. 4. uocatur nomine admodum emphatico עֲרֵבֹנָא, quod LXX. transfulerunt, ὁ ἐπίμικτος, *admixtus*, scilicet popellus: Qui, cum ibidem Israelitis opponatur, manifestum est, non ex profapia Ebraeorum fuisse ortum; sed ex quibuscunque gentibus, quae magno numero Aegyptum, utpote fertilissimam regionem, frequentarunt, concurrisse, et una cum populo Dei exiisse. Inducit quidem Paulus nominatim tantum *patres*; sed, denominatione facta a potioribus, tanquam familiarum capiribus; quorum appellatione reliqui omnes, quocunque titulo ipsis associati, continebantur. Vnde colligere datur, quanta hominum multitudo fuerit, quae uno agmine Aegypto sit egressa. Atque hic exitus typus erat,*

erat, gratiae diuinae, aliquando in omnes gentes propagandae. Vt enim hic variarum gentium homines, nobis et maris tutela fruebantur, et ab Aegyptiorum impetu defendebantur; ita in N. T. diruto pariete intergerino, μεσοτόλιον, Eph. II, 14. gratiae media tam ethnicis, quam Israelitis impertiri, et omnes populi ad salutem uocari debebant. Prouti ex mandato Christi patet: *Euntes in mundum uniuersum, docete omnes gentes, baptizantes eas*, Matth. XXIII. 19. Non enim Deus Iudaeorum tantum, sed et gentium, Deus est. Rom. III. 29.

Intelligimus itaque, iam tum, cum Deus populum suum durae seruitutis iugo liberaret; et hoc, et aliis, gratiae scilicet spiritualibus beneficiis, ipsum simul aliarum gentium homines dignari uoluisse. Ipsum autem, quod uniuerso agmini indulsit, beneficium, unico uerbo βαπτίζαντο, baptizabantur, exprimitur. Est illud Mediae uocis, et, quod in S. codice N. T. rariuscule fit, *possue* intelligendum est; Occurrit autem uario significato. Datur etenim *baptismus uulgaris* et quotidianae lotionis. Marc. VII. 4. *Lauacri sacramentalis*, quod N. T. proprium est, medium ingenerandae, uel confirmandae fidei. Marc. XVI. 26. *Internae* occultaeque *ablutionis* cordium, quae fit per Spiritum S. Marc. I. 8. *Totius institutionis* aut informationis in iis sapientiae Christianae capitibus, quae ad consequendam salutem faciunt. Quo sensu baptismus Iohannis de eius praeconio legitur. Luc. XX. 4. Matth. XXI. 25. Act. XIII. 25. *Crucis*, quo modo est immersio quaedam in calamitatum fluctus, Marc. X. 38. 39. *Mortificationis* ueteris, et suscitationis noui hominis, Rom. VI. 4. Denique miraculosi *transitus* per mare rubrum. Quas septem uocabuli *baptismi* significationes B. BALDVINVS in nostrum locum annotauit. Et non abscausa traductio illa per mare βαπτισμός uocatur: *Ingressus*

*sus enim in mare erat quasi immersio, egressus autem quasi
emersio, ut ARETIVS notat. Quo ipso Deus luculentissime
praesentiam et clementiam suam erga ingentem hanc
hominum colluuiem testatus est; dum et uiam per ma-
ris fundum muniuit, et ab armis simul Aegyptiorum in-
sequentium, et minis iraque furentium, defendit: Fluc-
tus enim marini, qui utrinque murorum instar consi-
stebant, prohibebant, quo minus ab hostibus circumi-
rentur; et rorulenta nubes, quae Israelitis lucem, Aegy-
ptiis metum afferebat, intermedio loco posita, non per-
mittebat, ut uel minima iniuria populo Dei inferretur.
Sic, cum exercitus ille non legatur aquis tinctus, quibus
tamen undique cinctus erat, interpretes recte obseruant,
fuisse quasi quendam βαπτισμὸν, quo aquae capitibus qui-
dem iter facientium superiores erant, ea tamen neque con-
tingebant, neque madefaciebant. Hinc NICOLAUS DE
LYRA: *Baptizati sunt, figuratiter tamen, quod transitus ille
maris, et protectio nubis figura fuerit sancti Baptismi.* Et GRO-
TIUS ait; *quasi baptizati sunt.* Et NICOLAUS HEMMINGIVS:
Transitus per medium maris ipsum baptismum referebat.
Quod autem baptismum tantum referebat, proprie ba-
ptismus, uel immersio et emerisio non erat. Non est
dubium, quin ingentem illam cateruam, quae hoc mu-
nimento fruebatur, sacer quidam stupor corripuerit. Vi-
debant enim omnes, Deum, qui per uaria miracula ter-
ruerat Aegyptios, peculiariter potentiam suam exerere
in populum sibi deuotum: Eademque elementa, quae
hostibus in perniciem cedebant, Israelitis saluti esse.
Perinde atque olim undae diluuianae incredulis erant
exitio; Noacho autem eiusque familiae solatio, et uolu-
ptati, quibus illi incolumes enatabant, posteritati semen
relicturi, et beneficiorum diuinorum memoriam ad om-
nem posteritatem propagaturi, reliquis omnibus per
fluctus absorptis et extinctis. Ne*

Ne de *materia* huius baptismi typici simus incerti, illam conceptis uerbis exprimit Apostolus, asserens, patres baptizatos esse *ἐν τῇ νεφέλῃ, καὶ ἐν τῇ θαλάσῃ, in nube et in mari.* In utroque inuenimus, quod, quo attentius speculamur, tanto impensius demiremur. Quanquam huius loci non sit, his diu immorari; sed cogamur eos, qui horum sunt curiosi, ad alios amandare, qui dedita opera haec exposuerunt. Sigillatim de *columna nubis* uideri potest CALVOERII Gloria Mosis, p. 14. seqq. LVNDII *Jüdische Heiligthümer*, p. 36. seqq. aliique plurimi. Nos breuiter tantum de hac columna nubis referimus, quae facer codex suppeditat. Vbi ex nominibus, quibus haec columna appellatur, aliisque, quae de ea dicuntur, colligere licet, quid, qualisque illa fuerit. Non itaque falleremur, si dixerimus, fuisse illam *nubem*, aut *nebulam*, in modum columnae erectam, et crebris ignibus internitentibus distinctam: eamque mobilem, de loco in locum progredientem, diuinoque consilio ita ductam, ut Israëlitis esset loco ducis, et defensoris. Quippe quae ipsis uiam monstrauit, et inimicos arcuit, ne impetum in Israëlitas facerent. Nubes enim praestabat, ut populus Israëliticus ab aestu solis seruaretur tutus; ignis autem, ut quilibet agnosceret maiestaticam Dei praesentiam. Significat ergo defensionem et turelam Dei, qua suae Ecclesiae Dominus praesidet. De quo dubitare non sinunt, quae leguntur, Exod. XIII. 21. *Dominus antecedebat ipsos, interdum in columna nubis, ut uiam ipsis monstraret; noctu in columna ignita, ut lucem praeferreret, ipsique die et nocte iter facerent.* Vbi uidemus, Deum ipsum in nube ista praesentem fuisse, et per illam, tanquam per uisibile symbolum, suos erexisse et confirmasse, ne, ingruentibus aduersis, animum desponderent. Paulo clarius res sistitur, c. XIV. 19. ubi Deus, qui in nube

be apparebat, *angelus Domini* appellatur. Et cap. XXIII. 20. ait Dominus: *Ecce, ego mitto angelum meum ante te, qui te custodiat in itinere, et deducat te in locum, quem tibi paravi.* Additurque u. 21. Cauendum esse a facie eius, et obtemperandum eius uoci, neque offendendum, qui transgressiones non sit condonaturus, et nomen ipsius Domini esse in eo. Quae uerba plura nobis suppeditant argumenta, quod per angelum Filius Dei sit intelligendus, quam ut in praesens eoluere queamus. Et quid opus est multis? Cum Paulus diserte asserat, Christum Israelitas in deserto esse comitatum; et ab ipsis fuisse tentatum. 1. Cor. X. 4. 9. Filius ergo Dei, qui est dux et lux Ecclesiae suae, cuius bonitate in coelestem patriam deducimur, iam tum aderat coetui fidelium; et uisibili signo oculis ipsorum obuersabatur, ut et reuerentiam incuteret, et fiduciam inconcussam inspiraret.

Accedebat *Galassa, mare*, in quo baptizabantur. Quod circumdabat ipsorum latera, sicut et aqua eos, qui baptizantur, ut rem enunciat GROTIUS. Legimus autem de hoc mari eiusque transitu Exod. XIV. 21. 22. *Cum extendisset Moses manum suam super mare, abstulit illud Dominus, flante uento uehemente et urente, tota nocte, et uertit in siccum, diuisaque est aqua. Et ingressi sunt Filii Israel per medium siccum maris: Erat enim aqua, quasi murus, a dextra eorum et laeua.* Merito hic agnoscimus miraculosam Dei omnipotentis manum: Ersi enim olim quidam, ut S. BASILIUS, alique extiterint, qui existimarent, per uentum uehementiorem factam esse hanc aquarum sectionem; Omnes tamen circumstantiae textus loquuntur miraculum. Non quidem negamus, Deum id praestitisse, adhibito uento, tanquam organo suo; sed ita tamen, ut supernaturalis et extraordinaria Dei uirtute accederet. Quomodo enim uentus, naturali uirtute sua
inte-

integrum alueum marinum, qua iter tantae multitudini praebebat, exsiccare? Quomodo ita erigere, ut ordinate utrinque confisterent? Quomodo demum ita continere potuisset aquas, ut, muri instar, erectae starent, et in eodem statu tamdiu se continerent, usque dum populus, Deo carus, transierit? Loquitur potius extensio manus, a Mose facta, iussu et nutu Dei haec omnia esse peracta. Angelus scilicet increatus, Filius Dei aeternus, per quem facta sunt omnia, et absque quo factum est nihil, quod factum, Ioh. I. 3. *Qui usque modo operatur cum Patre*, Ioh. V. 17. hoc pacto specimen maiestatis diuinae exhibere uoluit; ut populus intraret, et aquis multo humilior, ab illis tamen non opprimeretur, et ne madefieret quidem. Ineptum item est, quod illi olim, qui PORPHYRI disciplinam sequebantur, perhibuerunt, reciprocaione naturali et refluxu mare Erythraeum exsiccatum esse, et Israëlitis iter aperuisse. Sed ea parte, qua Israëlitaë uadum habuerunt, refluxu nunquam exarescere, omnium seculorum consensus docet. Ne iam urgeam, ex reciprocaione illa fieri non posse, ut aquae in utrasque partes secedant, et in cumulos, murorum more, surgant. Manet itaque haec maris rubri dissectio miraculosa, per extraordinariam Dei prouidentiam praestita. Etsi, post factam aquarum seiunctionem, uentus Cadim, seu matutinus, accesserit, qui uadum arefecerit, ut sicca illic planta consistere posset. Concurrunt itaque h.l. duo illa, quae simul sumta, typum nostri Baptismi constituunt; Aqua scilicet et Christus, quae reipsa, non tamen sacramentaliter, hic sunt praesentia.

Sed maxime ardua quaestio est, quem in *finem* hic βαπτισμός sit factus? Quemque fructum et effectum debuerit habere? Idque innuit phrasis, *εις Μωσην*, in Mosen, sunt baptizati. Sunt quidem non pauci, inter quos,

B

post

post *Vulgarum*, sunt NICOLAVS DE LYRA, GENTIANVS HERVETVS, interpres Chrysofomi, aliique, qui transfulerunt, *in Mose*. Neque tamen determinant, quem uelint suae interpretationis sensum peculiarem. Nisi quod AVGVSTINVS, DIONYSIVS CARTHVSIANVS, NICOLAVS HEMMINGIVS, et IOHANNES CALVINVS interpretantur de ductu et ministerio Mosis. Ut ipsorum mens sit, patres, ductu et ministerio Mosis fuisse baptizatos. Sed neque horum mens hoc pacto satis patet; neque sat causae apparet, cur in ipsorum gratiam a clara textus authentici litera et constructione recedere debeamus. Contra longe plurimi, retenta constructione Graeca, accipiunt illud, *εις Μωσην*, de obligatione ad doctrinam Mosaicam, recipiendam sequendamque. Ita FLACIVS, *Gloss. Comp. In Mosen baptizari, idem est, quod in Mosaicam legem, quae tunc eis proponebatur. Quocum facit BALDVINVS, qui sic: In Mosen baptizari, est obligari ad doctrinam Mosis, et mandata Dei, per Mosen promulgata. Nam per miracula illa magis magisque confirmabantur Israëlitae, Mosen esse seruum Domini, et doctrinam eius coelitus delatam, ac proinde sancta fide retinendam. Eadem, paulo prolixius WEINRICHIVS, hoc modo: Dicit, eos in Mosen fuisse baptizatos, non ea ratione, qua nos in N. T. dicimur baptizari in Christum; Sed ex termino Relati pbrasis haec intelligenda est. Ut enim nos per baptismum obligamur in nomen Christi, i. e. ad fidem et confessionem ipsius nominis. Sic Israëlitae miraculo nubis et maris rubri, quod sicco pede transferant, obligabantur, ut fidem haberent doctrinae Mosis, et praeceptis, Dei nomine ab ipso promulgatis. Sicut Exod. XIV. 31. dicitur: Populus Israëli, postquam euassisset periculum, quod ei ab hoste imminente, et mari obstante impendebat, et uidisset tristem hostilis exercitus interitum, timuit Dominum, et credidit Deo, et Mose, seruo eius. Neque dissentiunt CHRYSOSTOMVS, GROTIVS, HVNNIVS, OSIANDER, OLEARIVS, aliique. Et haec sententia maxime consentanea est analogiae fidei: Nam si Moses*

Moses fuit typus Christi, de quo nemo dubitat, necesse est, sub ministerio ipsius populum Dei ad eandem doctrinam fuisse obligatam, ad quam sub Christo. Iam autem sub Christo obstringimur ad totam doctrinam coelestem, lege et euangelio constantem. Itaque et sub Mose id fiebat. Est itaque in Mosen baptizari, miraculoso modo adduci et conuinci, ut Mose habeatur fides, siue legalia, siue euangelica populo suo proponeret. Nam id naturae nostrae conditio requirit, ut et lege et euangelio ducamur.

Notato huius baptismi Mosaici fine, nunc liquet, eum iure a nostratibus Theologis haberi pro *typo* nostri baptismi, Sacramenti N. Testamenti. Ita enim CHRYSOSTOMVS; Hic transitus per mare τῆς τῆ βαπτίσματος, ἢ τῆς τῶν μυστηρίων παράγει τόπος, Baptismi et mysteriorum producit et exhibet *typos*, aut figuras. Et TERTULLIANVS, Libr. de Baptismo: *Primo quidem, cum populus de Aegypto expeditus, uim regis Aegypti, per aquam transgressus, euadit, ipsum regem cum totis copiis aqua extinxit. Quae figura manifestior in Baptismi Sacramento? Liberantur de seculo nationes, per aquam scilicet, et diabolum, dominatorem pristinum, in aqua depressum, derelinquunt.* Pariter et reliqui, non ex nostris tantum, sed et ex Pontificiis atque Calvinianis, quos euoluere licuit, Theologi, hunc baptismum Sacramentalis nostri baptismi typum dicunt. Et merito quidem. Nam ingens inter utrumque est conuenientia. Ille non erat Sacramentum, ut NICOLAUS HEMMINGIVS, sui uelut oblitus, perperam persuasum habet; Hunc tamen, qui ueri nominis Sacramentum est, egregie praefigurat. Ille Filium Dei, sub nube praesentem susebat; hic noster eundem, iam incarnatum, nobis exhibet; Ille aqua constabat, quae et ad nostrum pertinet. Ille fidem accendebat; Idem et noster facit, ἁγτῶν scilicet παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαμώσεως πνεύματος ἁγίου. Tit. III. 5. Ille obligabat ad obsequium erga Deum; quod itidem et noster praestat. Ille ex ca-

B 2

ptiui-

ptiuitate ereptos, in libertatem, extinctis hostibus, asser-
bat: Et noster ex uinculis peccati mortisque liberatos, sta-
tuit in libertate filiorum Dei.

Videmus etiam, superuacaneam esse quaestionem,
quam IEAN CALVIN Commentaire in nostrum textum,
mouet: Annon sequatur, populum Israëliticum *bis esse ba-
ptizatum*; semel quidem sub nube; Iterum uero in mari?
Nam ut nobis ἐν βάπτισμα, unus baptismus. Eph. IV. 5.
Ita et illi semel tantum, typice scilicet et figuraliter, tin-
gebantur. Et ut nobis duae sunt res, quae baptismum
constituunt, coelestis, sanguis Christi, seu meritum eius,
quod in Baptismo induimus. Gal. III. 27. et terrena, aqua
uera et naturalis. Ita et in illorum baptismo haec duo
deprehendimus: Christus praefigurabatur per nubem;
aquae autem instar erat in mari. Neque par est, ut plus
sit in typo, qua tali, quam est in antitypo. Et recte CAL-
VINVS ad motam a se quaestionem respondet: Duo ista,
nubem et mare, esse duo signa, quae correspondeant no-
stro baptismo, eundemque unum praefigunt. Sicut ad
nostrum concurrant duo haec, aqua, tanquam res terrena;
et gratia Dei, tanquam res coelestis; ita memorata duo ad
baptismum typicum pertinere simul et concurrere. Hacten-
us non male. At illud παραλόγως; quod ipse eiusque se-
quaces a typis et Sacramentis V. T. ad Sacramenta N. T.
concludunt, et arguunt. Si Christus homo in typis et sacramentis
V. T. non fuit substantialiter praesens; sequi, quod neque in
Sacramentis N. T. humanitate sua praesens sit, nobisque ap-
plicetur. Nam de praesentia Christi hominis in S. Coena, res
in uado est; quando expressa litera pro ueritate militat. Verum
et in Baptismo praesentem esse humanitate sua, uel illud argumen-
to est; quod Christum dicimur induere. Gal. III. 27. Quem enim
induimus, certe a nobis loco diffusus esse non potest. Neque fru-
stra dictum est illud Christi: *Ecce, ego sum uobiscum omnibus diebus,
usque ad consummationem saeculi. Matth. XXII. 20.* Hoc tamen recte a
CALVINO l. c. disputatur, fructum baptismi typici non esse tan-

EIJM

tum naturalem: Nant neque nubem tantum protexisse ab ardore solis; neque mare tantum latera muniuisse ab incurfu Aegyptiorum. Sed ardua magis hic latere, et, quae ad animae salutem pertineant. Nempe per nubem gratiosam Dei praesentiam, et per maris transitum ductum ad salutem aeternam denotari.

Quantum autem cunq̄ue fuerit beneficium, quod Deus baptismo hoc typico Israëlitis exhibuit; Paulus tamen rationem inuenit, conquerendi, multos ex illis defecisse, neglectaque praesentia Dei maiestatica, contra sanctissimum Numen murmurasse, Christum tentasse, foedas libidines sectatos esse, et idolomania nefanda se contaminasse. Hinc iram diuinam exaruisse, ipsosque *strauisse in deserto*. I. Cor. X. 5. Adeo non licet arguere a qualicumque mediorum salutis usu ad statum gratiae, et certitudinem uitae aeternae. Sed perseverantia in uera fide, et constantia in studio pietatis requiritur: Tantum enim, *qui perseverat usque ad finem, saluabitur*. Matth. X. 22. Τίτος ἐνεκεν, hic quaerit Chrysostomus, ταῦτα λέγει; ἵνα δείξῃ, ὅτι ὡσπερ ἐκείνος ἐκ ὄψεως τοιοῦτης ἀπολαύσας δωρεῶν, ἔγω εἰς τῆς τοῦ βαπτίσματος τυχεῖν, καὶ μυστηρίων πνευματικῶν ἀπολαύσας, εἰ μὴ μέλλοιεν ἄξιον τῆς χάριτος ἐπιδέκνυσθαι βίον. h. e. *Quare haec dicit? Ut ostendat, quod, sicut illis nihil profuit, huius doni fructum percepisse; ita neque his profuturum sit, baptizatos et mysteriis spiritualibus usos esse, nisi uelint dignam gratia uitam exhibere.*

Sed satis de baptismo typico. Antitypicus et Sacramentalis, ut ad tempus lucis pertinet, ita plura sistit, ad nostram salutem consideranda. Itaque in quibusdam, quae circa illum notabilia occurrunt, euoluendis, et cum erudito orbe communicandis, laudabili opera huc dum uersatus est **MAXIME REVERENDVS AMPLISSIMVSQVE VIR, DOMINVS M. CHRISTIANVS GOTTLIEBIVS CLVGIVS, CANDIDATVS NOSTER DIGNISSIMVS**; lamque, dum honores Theologicos, tanquam testimonium solidae eruditionis et candoris officialis ab Ordine nostro petit; gaudet, sibi dari occasionem, plura hanc in rem commentandi. Sed cum de eius uita, studiorumque studio, quaedam, pro recepto more, exponenda sint, malo id ipsius, quam meis uerbis, facere. Ita autem ipse de se:

Natus sum Nerchauiae, prope Grimam, anno superioris saeculi nonagesimo nono, die XI Ianuarii, patre Godofredo Clugio, ecclesiae Nerchauiensis et Canneuiciensis Pastore, matre Anna Catharina, gentis Seileriae, sed duro admodum initio usus, cum, patre, saeculo hoc ineunte, anno scilicet MDCCCII, praematura morte extincto, omnis educationis cura in matrem, uiduam, nec opibus affluentem, coniiceretur. Haec postquam Grimam habitatum concessit, me, cum primum aetas sineret, magistris scholae opidanae, et an. MDCCCXIII gymnasii prouincialis, quod ibidem est, doctoribus, erudiendum tradidit, quorum fidem atque industriam expertus sum plane singularem. In primis Clarissimi SCHVMACHERI, scholae prouincialis Conrectoris, a me praedicanda est, cum humanitas, tum beneuolentia, qui me non solum in subfelliis scholae haerentem dilexit magnopere, sed etiam, abeuntem in academiam, et consiliis adiuuit, et commendatione. Vitembergam delatus, et, Rectore b. WERNSDORFIO, d. XXVIII. April. an. MDCCCXIX. inter ciues academicos receptus, scholas philosophicas frequentare coepi, et in doctrina de moribus et republica Celeberr. HASENIVM, in rei naturalis scientia b. CHRISTIAN. VATERVM, in aliis philosophiae partibus alios habui doctores, sed nec humanitatis artes neglexi, et ex Illustris uiri, IO. GVILIELMI BERGERI praelectionibus, cum uel artis rhetoricae traderet praecepta, uel singulares doctrinae reconditae partes enuolearet, ingentem cepi fructum, qui etiam anno MDCCCXXI. Magisterii honores contulit, et auctor fuit conscribendae dissertationis, qua τὸ σεμνόν, quod in oratione Corn. Taciti praecipuum inesse iudicat C. Plinius, ex Hermogenis disciplina expenditur, quamque, eo Praefide, an. MDCCCXXV. e cathedra inferiori,

riori, et, ad obtinendam docendi facultatem, ipse praefes, ex cathedra superiori, defendi. Sed cum studiis sanctioribus me consecrassem, duces nactus WERNSDORFIVM, CHLADENIVM, IANVM, et, quem uiuum colo, SCHROEERVM, eos feci progressus, ut an. MDCCXXV, loco postremo inter Diaconos ecclesiae Vitembergensis uacuefacto, cum nomen apud Senatum Amplissimum professus essem, non solum ad habendam e suggestu sacro orationem admitterer facile, sed etiam b. Wernsdorfii, aliorumque Patronorum, fauorem ita mihi conciliarem, ut Senatus, quod eo tempore in me conferre non poterat munus, post paucos annos ultro ad me, nec petentem, nec opinantem, deferret. Placuit enim summo Numini, me in scholam mittere, meamque in pascendis tenellis agnis patientiam, fidem, et industriam, antea probare, quam maiorem committeret gregem. Non satis hic praedicare possum eam, quam Celeberr. uir, IO. FRIED. WEIDLERVS, Mathem. superior. Professor publicus, mihi exhibuit beneuolentiam, qui, apud suos in Thuringia uersatus, cum ex amico cognouisset, Perillustrem Dominum ANTHONIVM FRIDERICVM DE BEVLVIZ, Principis Schuarzburgici Cancellarium, et Consistorii Francohusani Praesidem, de Rectore scholae praeficiendo sollicitum esse, scriptis ad eum literis, meliori de nota me commendauit, effecitque, ut anno MDCCXXV, mense Octobri, transmissis a Senatu urbis Francohusanae uocationis tabulis, munus Rectoris obtinerem. Rebus igitur meis Vitembergae compositis, Francohusam migraui, et, Perillustri BEVLVICI gratia sussultus, non sine omni fructu in schola docui, etiam Prolusiones quasdam, exercitiis oratorijs publice institutis, in lucem emisi, e quibus unicam nominare liceat, *de antiquitate atque origine ritus, quo interro-*
gamus


mus infantes ante lotionem sacram de fide, anno MDCCXXIX. Sonderhufae typis expressam. Sed cum, cognita perspectaque Patronorum Francohusanorum in me uoluntate, totum me scholae deuouissimam, praeter spem opinionemque accidit, ut Senatus amplissimus urbis Vitembergensis, iudicii Wernsdorfiani de me meisque studiis recordatus, ad occupandum tertium inter Diaconos locum, transmissis literis, an. MDCCXXIX. me euocaret, immo an. MDCCXXXII. in locum Dn. D. ANDR. CHARITII, Archi-Diaconi, et Collegae charissimi, Merseburgum ad munus Praefulis obeundum discedentis, me sufficeret, quem locum ut maiori et auctoritate sustinerem, et fructu, antecessorum meorum exemplo excitatus, in animum induxi, summos in Theologia petere honores, qui ut mihi et ecclesiae felices sint, ex animo precor.


Atque hic laudatissimus Vir, in literis diuini orationis et munere sacro feliciter uersatus, ut argumentum, quod auspiciatus est, plenius persequeretur, constituit, cras, quod bene uertat! hora IX. antemeridiana, *de fide Baptismi Originibus*, publice uerba facere, oratione solenni ad reliqua, quae consuetudo decusque postulant, specimina aditum sibi paraturus. Quod institutum, ne fauore publico destituatur, Magnificum Academiae Pro-Rectorum, Perillustrem Dominum Comitum, et Illustres Liberos Barones, Patresque conscriptos, uerbi diuini Praecones, reliquos item reipubl. nostrae literariae Fautores, et uniuersam denique florentissimam Studiosorum coronam, ut Oratori nostro auribus animisque faueant, qua par est humanitate, mei Ordinis meoque nomine, rogo contendoque, P. P. Dom. Oculi

A. O. R. MDCCXXXIV.

VITEMBERGAE

EX OFFICINA EPHR. GOTTLOB EICHSFELDÆ






102 183



f
5b.

VD 17





5a

LECTORI BENEVOLO
FAVSTA QVAEVIS APPRECATVR
**IOHANN CASPAR
HAFERVNG, D.**

SS. THEOL. PROF. PVBL. ORD. ET ALVMN. REGIO-
ELECTORAL. EPHORVS

ORDINIS SVI

H. T.

DECANVS,

ET AD

AVDIENDAM CRASTINO DIE

ORATIONEM INAUGVRALEM
MAXIME REVERENDI
DOMINI CANDIDATI NOSTRI
DECENTER INVITAT.

